

15
præsse credebant, & multiplicationem pecorum ab ali-
quibus petebant.

*Fauno, à quo Faunalia 5. Decembris celebrata, sacra fiebant passim
in sylvis & pratis. Saltare etiam agrestes in hoc festo solebant.*

*Hic, cum magna sterilitate orta à Numa consuleretur respondit pla-
cari Deam Tellurem non posse, nisi duabus hostiis, quas una juvencula
daret, hac vero gravidam bovem significari, Egeria nympba censuit.
Conclusum itaq; fuit, ut quotannis ad diem 5. Aprilis forda, i. e. bos gra-
vida, ad fecunditatem pecudum à Deo impetranda immolaretur. So-
lennitatem hanc appellarunt fordicia. Hinc Ovid.*

Forda ferens bos est, fecundaq; dicta ferendo:

Hinc etiam foetus nomen habere putant.

In hunc finem quoq; 21. Aprilis Palilia celebrata fuerunt.

*Idibus Augusti erant feriae Dianæ venationum Dea, cui faces ar-
dentes offerebant, & canes infulis velatos sistebant. Hinc Ovid. canit.*

— — — ista coronat

Emeritos Diana canes, & spicula tergit,

Et tutas finit ire feras.

XLV.

**Ita Pontificii quoq;, quibus hanc curam sanitatis com-
mitterent, solliciti fuerunt.**

*Anserum cura Gallo, ovium Wendelino, Equorum Eulogio, Bovum
Pelagio, Porcorum Antonio tribuebatur.*

XLVI.

**20. Sicut Ethnici, pro generosi vini copia impetran-
da sacra instituebant:**

*Pithagia festum erat Bacchi, in quo dolia primum relinebant, & vi-
na nova gustabant. Vinalia dies festus 21. April. celebratus, quo vi-
num novum Veneri libabant.*

XLVII.

**Ita quoq; Pontificii hanc ob causam sanctos exco-
gitarunt.**

*Inter hos Kilianus & Urbanus sunt precipui, quorum prior vites
custodit, posterior maturitatem urget: ut nihil dicam de aliis.*

XLVIII.

**21. Sicut Ethnici interdum ad certa loca peregrina-
tiones**